



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Capita Pietatis Christianæ, Interrogationibus Et  
Responsionibus vsitatis in Catechetica Methodo ita  
explicata, vt breuem sed integram hypotyposin doctrinæ  
purioris complectantur**

**Ferinarius, Johannes**

**Magdebvrgi**

**VD16 W 3078**

Enarratio Symboli Apostolici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36195**

Singuli tamen etiam reguntur à Deo, donec absol-  
rint curriculum, quod Deus eos vult perficere, & sic  
vult. Impetrant mitigationem calamitatum, & expe-  
riuntur præsentiam Dei.

Quid differunt promissiones, quas habuit  
Politia Mosaica, à promissionibus Ec-  
clesiæ noui Testamenti?

Politia Mosaica habuit promissionem in specie  
videlicet, Ecclesiam mansuram in certa sede, in Pala-  
stina, vsq; ad exhibitionem Messie. Ecclesia vero post  
destructionem Politiæ Israeliticæ, habet promissionem  
in genere, videlicet super futuram esse aliquam Eccle-  
siam in mundo, sparsam per diuersa loca, & imperpetuum  
sicut dicitur: Hoc facite, donec veniam. Et: Erunt  
cut in diebus Nohe, &c. Et simul illa ipsa promissio  
generalis, habet exceptionem castigationis & cruci-

## ENARRATIO SYMBO- LI APOSTOLICI.

Quid differunt ista vicina vocabula, Sym-  
bolum, & Symbola?

Symbola nomen femininũ, cum sit à  $\sigma\upsilon\mu\beta\omicron\lambda\omicron\iota\sigma$  usitate significat contributionem ad conuiuium, vel  
computationem, sicut exempla docent apud Scriptores  
græcos & Latinos. Nam usitata phrasis est Aristote-  
phanis:  $\pi\rho\acute{\omega}\tau\epsilon\rho\upsilon\ \sigma\upsilon\mu\beta\omicron\lambda\omicron\iota\sigma$ , id est, poscere pecuniam  
competentem

computationis. Et similia sunt in fabulis Tessarij.

Symbolum verò nomen neutrum, in genere significat signum rei alterius. Deinde autores ita peculiariter nominarunt tessaras castrenses, id est, inditia seu notas, quibus socij discernuntur ab hostibus, tempore belli. Nominantur istæ notæ alio nomine *σημεία*. Postea hoc vocabulum usurpatum est à scriptoribus Ecclesiasticis, apud quos Symbola nominantur, Epitome, vel compendia, in quibus præcipua capita doctrinae caelestis, breviter & perspicue recitantur. Ratio appellationis hæc est, Quia professiones fidei faciunt discrimen, inter Ecclesiam, & alios, qui sunt alieni ab Ecclesia, & doctrina eius.

### Quot numerantur symbola in Ecclesia?

Ecclesia, tria præcipua celebravit, & usurpavit Symbola: Apostolicum, Nicenum, & Athanasij.

Apostolicum vetustas existimavit esse conditum ab ipsis Apostolis, qui, antequam in diversas orbis terrarum regiones proficiscerentur, prius constituerunt formam, & summam doctrinae, quam erant propagaturi inter homines. Nec tamen huius sententiae sunt satis firma testimonia. Sed constat esse antiquius Niceno, & Apostolica doctrina tanquam fundamento firmissimo nitii. Ac fere iisdem verbis recitatur in Epiphano. Distribuit hoc symbolum, in 12. Articulos,

H & cunctis

et cuilibet ex Apostolis unum assignant. Sed ea de re pronuntari certi nihil potest, neque etiam opus est.

#### Nicenum.

Habet nomen ab urbe Bithynia Nicca, in Asia, in qua fuit celebris synodus Episcoporum 318. convocata, et gubernata ab Imperatore Constantino, edita est haec doctrinae confessio, ad refutandos errores Arij, qui negabat, Filium Dei genitum esse de essentia Patris, et omnipotentem. Sed contendebat, esse esse conditum ex nihilo, sicut ceteras creaturas. Hoc anno Christi 329.

Tertium ascribitur Athanasio, Episcopo Alexandrino, qui maxima certamina, arumnas, et exilia sustinuit in refutatione Arianorum. In illo Symbolo Articulus de copulatione duarum naturarum in Filio, magis perspicue illustratur. Solet decantari in Templo. Scriptum est circa annum Christi 333.

NICENVM Symbolum, impletum est postea a Gregorio Nysseno, et addita appendix, complectens illustrem confessionem, de persona Spiritus sancti, oppositam furoribus illorum, qui negabant, Spiritum sanctum esse.

#### Quare sunt condita Symbola in Ecclesiae

Vt populus integrum corpus doctrinae, mente circumferre possit, illudque in inuocatione inueniri.

Deinde illae confessiones, sunt oppositae corruptis doctrinae, excogitatis audacia humana ab Haereticis.

Quæ est autoritas Symbolorum ?

Sunt testificationes de perpetuo consensu Ecclesie, in retinenda puritate doctrine : Fides autem, quæ amplectimur symbola, non nititur illis testificationibus Ecclesie : Sed perspicuo verbo Dei, tamen, Catholicam Ecclesiam docentem pie audimus, & sinceræ vetustatis testimonijs confirmamur, sicut Paulus vult infirmos à firmitoribus confirmari.

Propter quas causas, necessarium, & utile est, sæpe pronuciari verba Symboli :

1. Ut profitearis coram Deo, quid de ipso sentias.
2. Ut ista Pædagogica recitatio, te commonefaciat de omnibus beneficijs Dei, non tantum de historia : sed etiam de applicatione. Non enim Symbolum est narratio rei, nihil ad nos pertinentis, aut tantum commonefactio, de imitatione bonorum exemplorum : Sed bona, proposita in narratione symboli fiunt nostra, si agimus poenitentiam, & intuemur fide Filium Dei.
3. Necessaria est ista recitatio, ut tuam confessionem palam opponas Diaboli, & impijs hominibus. Ut ostendas, te esse seiunctum à damnato agmine Diabolorum & hominum, qui Filium Dei afficiunt contumelia, & doctrinam eius oppugnant. Pertinet igitur iste cultus ad secundum præceptum Decalogi, quod præcipit de externa confessione & celebratione nominis diuini.

H 2 ARTIS

## ARTICVLVS DE DEO.

## Quid est DEVS?

DEVS est essentia spiritalis, intelligens, eterna, alia à Creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensa sapientie & potentie, irascens peccatis, pater eternus, qui Filium imaginem suam ab eterno genuit, & Filius imago Patris coeterna, & Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, sicut patefacta est diuinitas certo verbo, & testimonijs diuinis, quòd Pater eternus, cum Filio, & Spiritu sancto condiderit, & conseruet cælum, & terram, & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis, quòd ad conseruationem, & colligat sibi in genere humana eternam Ecclesiam propter Filium, & per eum, & sit iudex iustorum & iniustorum.

Quæ est declaratio appellati-  
onum?

Essentia, vel  $\delta\upsilon\sigma\tau\iota\alpha$  nominatur, quod reuera est non ut accidens herens in alio, c' si est communicatum. Ita usitatè vocabulum DEVS usurpatur de essentia eterna, & omnipotente, communi tribus personis.

$\upsilon\phi\iota\sigma\alpha\lambda\lambda\iota\omicron\upsilon\pi$ , subsistens, opponitur cogitationi, vel voci euanescenti, vel motui accidentali euanescenti, & discernitur ab  $\delta\upsilon\sigma\tau\iota\alpha$ , ut quiddam re ipsa distinctum ab alijs subsistentibus & incommunicabile. In eadem significatione usurpatur, post etatem Synodi Nicenæ, vocabulum  $\upsilon\pi\theta\sigma\alpha\sigma\iota\varsigma$ .

Rece

Recentiores Graeci ad imitationem Latini sermonis, etiam dixerunt  $\pi\epsilon\sigma\omega\pi\alpha$ . Ista nomina differunt ab  $\delta\upsilon\tau\iota\alpha$ , seu Essentia. Teneatur ergo discrimen inter  $\delta\tau\iota\alpha$  &  $\upsilon\phi\iota\sigma\acute{\alpha}\mu\upsilon\alpha$ .

Quæ est declaratio nominis  
Personæ:

1. Vocabulum persona, proprie significat faciem appositivam, seu larvam, qua & histriones uti sunt in ludis scenicis. Nomen habet à personando.

2. Vocabulum Persona, sæpè est nomen relativum, significans esse ordinatum, vel ad administrandum certum officium, vel ad edendum certos gestus ut alius imitatione representetur. Sic dico: Roscius sustinet personam Agamemnonis, id est, ordinatus est, ut ista scenica actione gestu & oratione, imitetur ac representet Agamemnonem.

3. Sed Ecclesia hoc nomine aliter usa est, videlicet in Prædicamento substantiæ, & tamen discernit inter essentiam communem trium personarum & inter subsistens individuum & incommunicabile.

Quid est persona, seu  
 $\upsilon\phi\iota\sigma\acute{\alpha}\mu\upsilon\alpha$ ?

Est subsistens, vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum in alio.

Quæ est declaratio Definitionis:

Vivum opponitur mendacio, & rei evanescenti.  
Individuum dicitur ad differentiam essentiæ. Intelligens

gens excludit omnes naturas, brutas. Incommunicabile dicitur, Primum ad distinctionem Essentie, quae tota communicatur & μετέστωρ καὶ ἀσπασίτως est, impartibiliter, & indistractè seu indiuisè. Deinde, ad differentiam animæ humanæ, quæ, postquam discessit à corpore, etsi est substantia intelligens & indiuisa; tamen non habet rationem personæ cum sit incommunicabilis, id est, cum fuerit unita corpori ante mortem & in resurrectione mortuorum, rursus copulanda cum corpore. Tertio, veteres dixerunt: Idem esse naturam humanam uniti æterno Filio, & ei comunicari, & ab eo conseruari ac sustentari, ut significarent in Christo nato ex virgine non esse duas personas, diuinam & humanam, sed λόγος & assumptam naturam esse unitam & ἑνωμένην, & fuisse redactam in nihilum humanam naturam, dependentem singulari ordine ad diuinam sustentatricem, si non sic gestaretur ac sustentaretur à λόγος.

Quæ non sustentantur: Hoc dicitur ad differentiam naturæ humanæ in Christo, quæ non est persona, quia gestatur & seruatür à diuina, ita, ut humana non esset, & redigeretur in nihilum, nisi eam sustentaret, & uiuificaret λόγος. Et hoc decretum illud factum est, ut cogitemus, totum genus humanum, propter peccatum, redactum fuisse in nihilum, nisi hanc naturam nostræ naturæ, assumpsisset. Filius per quem totum genus humanum seruatür, & gestatur, perinde sicut surculus accipit & haurit vitalem succum ab arbore, cui insertus est.



## Quot sunt personæ Diuinitatis?

Tres: Pater, Filius & Spiritus sanctus. Nec sunt plures, nec pauciores, Quia diuinitas sic se patefecit.

## Quomodo discernuntur?

Pater æternus est prima persona diuinitatis, non nata, nec aliunde procedens: Sed quæ ab æterno genuit Filium, imaginem suam, & quæ cum Filio & Spiritu sancto, omnes alias res creauit, & earum substantias conseruat.

Filius æternus, est secunda persona diuinitatis, quæ est substantialis, & integra imago æterni Patris, quam Pater sese intuens, & considerans, ab æterno gignit, quæ nobis sic manifestata est, quod sit persona, per quam Pater æternus, dicit decretum, & totum ordinem creationis, & reparationis hominum, & mittitur, ut patefaciat Euangelium, & assumat naturam humanam, & sit Mediator, Redemptor, Iustificator, & Saluator.

Spiritus sanctus, est tertia persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, & est substantialis amor, & letitia coæterna, inter Patrem & Filium, & nobis sic manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem & letitiam, ac quietem in Deo, in eis accendat, qualis est ipse.

## Quid interest inter creare, &amp; gignere?

Creare, est ex nihilo aliud fabricare, sicut Deus

H 4

coelum

coelum & terram, Angelos, & totam hanc mundum  
machinam, dicens fecit ex nihilo. Gignere, est aliquid  
de sua essentia gignere.

Quid interest inter nasci, & pro-  
cedere?

Nasci est à potentia intelligente, quia Filius cogitatione nascitur, & prolatò verbo, nobis ostendit Patrem, & voluntatem eius, per quod verbum, & personam in nobis accendit.

Procedere est à voluntate, quia Spiritus sanctus est agitator, seu motor.

Contra:

In Propheta dicitur Filius egredi à Patre.

Alibi autem processus tribuitur Spiritui sancto.

Ergo non est discrimen inter nasci, & procedere, & inter Filium & Spiritum sanctum.

Respondeo: Vocabulum egredi est communius & generalius, & cum dicitur de Filio, declarandum est per vocabulum gigni seu nasci. Filius egreditur à Patre genitus, & ut λόγος, & imago. Spiritus sanctus autem procedit ut agitator & letificator. Itaque Filij egressio est generatio, Spiritus sancti est processus.

Discrimen est etiam inter verba Græca ἐξέρχεται significat exire in genere, ἐκπορεύεται significat egredi, aut procedere cum motu & agitatione.

## DE FILIO.

Quæ sunt præcipuæ Appellationes Filij  
in Scriptura?

Filio Dei in scriptura tribuuntur plura nomina,  
ex quibus alia tribuuntur ipsi, respectu æterni Patris seu  
generationis æternæ propter quã est ὁμοῶσιος æternæ  
no Patri. Alia respectu officij. Alia respectu utriusq;

Præcipua nomina sunt, quod appellatur λόγος,  
& imago.

## Quare nominatur λόγος?

Iohannes nominat æternam naturam in Christo  
λόγος, & hac appellatione expressè utitur in hac  
significatione, in exordio suæ narrationis, & bis in  
Epistola sua.

## Tenenda est autem hæc Regula.

Considerandum est, ubi dicitur scriptura de Filio  
loquatur, ubi de doctrina, & voce reuelata. Quia  
Filium in infinitum oportet discerni, à sonis externis,  
& à nostris cogitationibus.

## Dicitur λόγος duplici respectu:

Respectu æterni Patris, & respectu nostri.

Respectu Patris, quia æternus Pater, intuens &  
considerans se, cogitatione gignit, seu loquitur inte-  
gram, & substantialim imaginem suam, filium λό-  
γος.

Respectu nostri: Quia est persona, immediatè  
proferens Evangelium, ex sinu æterni Patris, alios

H 5 quens

quens Patres, conseruans ministerium Euangelij, et  
immediatè in eo est efficax, ostendens Patrem, et  
ficans. corda credentium.

Vnde sumitur declaratio prioris  
respectus?

Ex dicto Iohannis, qui narrationem sumit  
Genesi: DIXIT DEVS. Et addit: Omnia per  
hunc λόγον facta esse. Ergo est λόγος, respectus  
Patris.

*De modo generationis.* Declaratur ex vocabulo, imaginis, quod ostendit  
cuius nos pulchritudinem et  
fionis, et aeternam  
ac diuinam esse non intel-  
ligamus, diffinitur nec debemus  
nec possumus. Nihil de deo intelli-  
gimus, quia eius primum  
non volumus, et  
nihil nec scimus. Hæc est imago rei cogitatae, et motus, qui est impetu-  
sio spirituum. Hæc fabricatio hominis, est communis  
factio de Deo.

Ab anima hominis, in qua sunt mens, cogitatio  
et motus, qui est impetus  
sio spirituum. Hæc fabricatio hominis, est communis  
factio de Deo.

Aeternus Pater est veluti mens. Hic sese intuetur  
et perfecte cognoscens, cogitatione illa gignit imagi-  
nem suam. Ut cum homo cogitat amicum, illa cogi-  
tatione mox format imaginem eius.

Quid autem interest?  
Nos formamus imagines euanescentes. Sed  
et aeternus Pater gignit imaginem non euanescentem.

Discrepancia et similitudo, in qua imagine hæc  
Patris sapientia, et bonitas.

Vnde sumitur declaratio alterius  
respectus?

Ex dicto Iohannis, qui narrationem sumit  
Genesi: DIXIT DEVS. Et addit: Omnia per  
hunc λόγον facta esse. Ergo est λόγος, respectus  
Patris.

Ex multis dictis Scripturæ: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et ego sum qui loquor vobis ab initio. Et Esaias eum nominat Consiliarium, id est, veracem Legatum Patris. Ideo inquit Nazianzenus, complectens vtrunq; respectū: Dicitur λόγος, quia sic se habet ad Patrem, sicut ad mentem sermo, et quia est ἑξαγγελτιμος, id est, proferens Evangelium.

Quomodo declaratur vocabulum  
Imago:

Teneantur verba ex Epistola ad Ebræos: Qui est ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ ὑποστάσεως αὐτοῦ. Filius per quem secula fecit, est splendor lucis, et imago substantiæ æterni Patris. Usitata enim phrasis apud Ebræos est, dicere gloriam pro luce.

Nominatur imago Patris, respectu arcanae generationis à Patre, et collationis eum Patre. Natura conditrix in Christo, non est euanescentes sonus: Sed est imago subsistens, viua, καὶ συνοῦς ἰσοῦ Patri. Hæc imago substantialis, fulget in Christo nato ex virgine, qui propter imaginem substantialem, in ipso fulgentem, rectè dicitur ἐκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀορατοῦ, id est, imago Dei inuisibilis, ut ostendit Epistola ad Colossenses.

Deinde nominatur imago respectu patefactionis erga nos. Filius est fulgor ostendens patrem. Talis est Pater, qualem Filius esse annunciat, ut sermo est imago mentis. Et proponitur ista imago inuisibilis.

visibilis, ut discernamus Deum, ab omnibus commo-  
ticijs numinibus, Ac mittitur ad nos, ut rursus per  
eum fiamus imago Dei, hoc est, ut luceat in nobis  
nitio Dei, per Filium accensa, qua rursus efficiamus  
conformes Deo, ut 2. Corinth. 3. dicitur.

Recita confirmationes, quæ ostendunt  
quod λόγος sit ἡ πρῶτος. Et: Quod in  
Christo nato ex virgine, sine dua  
nature, diuina & humana.

Inter præcipuas confirmationes teneatur testimo-  
nium primi capituli Iohannis, qui consulto descrip-  
tionem Christi exorsus est, à natura diuina, quæ est,  
Ignatius loquitur, λόγος ὁστωδης.

Ita sunt declarandæ Propositiones primi  
capituli Iohannis

In principio erat λόγος, id est, Filius Dei factus  
ab eterno, ante mundi conditionem. Principium enim  
hic significat, sicut in Genesi initium huius mundi.

Tunc cum nondum essent creaturæ, erat λόγος.  
Est igitur natura Deus.

Valet consequentia à proprio. Quia ab ete-  
rno, ante mundi conditionem, nulla fuit alia natura,  
sola essentia omnipotens, increata. Cætera corpora  
sunt condita in Principio, id est, certo tempore.

Et λόγος erat apud Deum. Discernuntur per  
sonæ diuinitatis, & describitur, qualis sit persona Filij  
à λ

ὁ λόγος ἢ πρὸς τὸν θεόν.

Ergo alia est Persona Patris, alia Filij.

Præposito πρὸς ut hypostasin Patris ab hypostasi Filij distinguit, ita non otiosam sententiam continet, sed deliberationem & colloquium significat. Græci enim sæpe eam de colloquio usurpant, ut Xenophon: διαλέγομαι πρὸς σε. Et Thucydides: λόγος ἐπὶ τῷ πρὸς τὸς στρατηγῶς. Sese afficiens Pater æternus ac sese considerans, ac secum loquens gignit imaginē ἡφισάμην ἢ ἀπαράλλακτον. Hæc interpretatio & hypostases distinguit, & eandem doctrinam confirmat, cum in Deo nihil nõ ὁμοιωδῶς cõfideretur.

Δόγος erat Deus: Predicatio regularis est, non Metaphorica, ut contendebant Ariani. Nam Deus non intelligitur de officijs diuinis, quia narratio instituta est, ad descriptionem de Essentia diuina: Sed proprijs sine de æterna, & omnipotentē Essentia. Et Syntaxin monstrat articulus græcus, additus subiecto.

Sequens membrum est declaratio prioris:

Omnia sunt facta per Filium.

Ergo est natura Deus.

Quia sola essentia omnipotens est creatrix, nõ fuita.

Sine ipso factum est nihil.

Omnia corpora sunt facta per ipsum.

Quod factum est.

Exceptio

Exceptio est. Excludit peccatum & mortem  
 Quae non sunt creata à Deo.

In ipso vita erat.

Primum est Prædicatio regularis. Deinde M  
 leptica.

Ipsè est vita.

Id est, viuens, & perfecta imago æterni patris  
 splendens in tota natura assumpta, lucens etiam in  
 minibus, & viuificans ipsos.

Vita est lux hominum.

Illuminans, docens & letificans homines. Est  
 persona, per quam immediatè restituitur imago  
 hominis.

Verbum caro factum est.

Illa persona certo tempore assumpsit naturam  
 humanam, in alio virginis.

Ergo λόγος est alia persona distincta à Patre.

Quia clarè discernuntur Christus, & Pater.  
 Pater non assumpsit naturam humanam. Ac clarè  
 significatur, duas naturas esse unitas in Christo.

Huc referantur dicta ad Ebraeos, & Colossenses  
 quae testantur, filium esse substantialem imaginem  
 patris, & ὁμοῦσιον patri. Admodum perspicuè etiam  
 describuntur duæ naturæ in Filio in dicto Pauli  
 quod extat Rom. 9. Ex quibus est Christus secundum  
 carnem, qui est Deus benedictus in secula.



Nunc considerentur hæc argumenta, quæ  
complectuntur fontes confirmationum  
de natura diuina Christi.

1. Argumentum.

Inuocatio est honor, qui debetur soli Deo, & ni-  
hil est inuocandum, quod non est natura Deus, iuxta  
dictum: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli ser-  
uies. Quia inuocatio naturæ absentis, tribuit illi lau-  
dem omniscientiæ & omnipotentia.

Vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica,  
affirmat Messiam esse inuocandum.

Ergo in Messia est natura diuina.

Minorem probo ex perspicuis testimonijs: Psal-  
45. Ipse est Deus tuus, & adorabis eum. Ita inuocat  
eum Iacob: Deus Abraham & Angelus, qui crispuit  
me ex cunctis malis, benedicat pueris istis. Et Stepha-  
nus inquit: Domine Iesu, suscipe Spiritum meum. Et  
perpetua precatio est Ecclesiæ:  $\chi\rho\iota\varsigma\ \epsilon\lambda\epsilon\eta\sigma\omicron\nu$ .

2. Argumentum.

Omnipotentia & omniscientia sunt proprietates  
congruentes soli naturæ diuinæ.

In Messia est natura omnipotens, omniscia, &  
exaudiens.

Ergo λόγος est ὑψιστόμοδος, & natura Deus.

Minor confirmatur. Manifesta asscueratio est  
in scriptura Prophetica & Apostolica, quod in Mes-  
sia sit natura creatrix. Ut dicitur: Mundus per  
ipsam

ipsum factus est. Per eum condita sunt omnia, Colloſſenſes. Item: Meſſiam redditurum iuſtitiam, uitam eternam ut dicitur: Ego uitam eternam do-  
Et: Quæcumq; Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.

### 3. Argumentum.

Teſtimonia Prophetica & Apoſtolica affirmant fuiſſe Meſſiam, ante aſſumptiõnem naturæ humanæ, & perpetuo aſſuiſſe Eccleſiæ, per eum Eccleſiæ immediate conditam, & conſeruatam eſſe, eundem modo ante & poſt aſſumptam naturam humanam, efficacem eſſe in membris Eccleſiæ.

Ergo λόγος, eſt ὁ φησὶς μὲν & Omnia  
tens.

Dicta ſunt: Antequam Abraham naſceretur ego ſum. Glorifica me ea gloria quam habui apud te antequam mundus conderetur. Paulus aſſi-  
ſtum aſſuiſſe populo in deſerto. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis &c. Egreſſiones ante dies mundi.

Post iſtas confirmationes, ſint etiam in conſpectu teſtimonia Prophetarum, & ſcriptorum in Eccleſia veteri, ante Nicenam Synodum.

Prima promiſſio, edita de ſemine naſciturum muliere, & repetitiones eiufdem, teſtantur: In die

esse naturam, victtricem mortis, instauratricem vitæ,  
 & exaudientem inuocantes.

Adolescentes ediscant dictum, quod extat in 17.  
 capite Paralipom: Aspicias me in forma hominis, qui  
 in excelsis es, IEHOVAH DEVS.

In forma quod nos hominis, placidissime Christe,

Aspicias, & tamen es conditor ipse Deus.

Et nostram massam miseratus, crimina deles,

Et vitæ æternæ gaudia vera dabis.

Hæc grati canimus tua dona, simulq; precamur,

Tu nos vt doceas, luce regasq; tua.

Simplicissima & Grammatica enarratio hæc est:

Traditur confessio de vtraq; natura in Messia.

ASPICIS ME. Hic Dominus nos miseros  
 aspicit, curat, protegit, non tantum in communibus  
 naturæ periculis: Sed etiam aduersus Tyrannos, &  
 Diabolos. Seruat nos in morte, ne opprimamur ætero  
 nis malis. Huc respicit dictum Christi: Abraham vis  
 dit diem meum, & letatus est.

FORMA HOMINIS: Significat naturam  
 humanam, & pœnas nostrorum peccatorum, quas ipse  
 sustinuit, cum esset sine peccato. Hoc imitatus est Pau  
 lus, cum inquit: Qui cum esset in forma Dei, seipsum  
 exinaniuit, formam serui assumens. Et tamen ille Do  
 minus est IEHOVA seu natura Deus, sic induens  
 formam hominis, vt in se pœnas nostrorum peccato  
 rum transferat, nobis vero donet suam formam, quæ  
 est

est iustitia Dei, & vita liberata à peccato, morte, & omnibus ærumnis, sicut scriptum est, Eum, qui nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos mus iustitia Dei in ipso.

Hieremiæ 13. Et hoc est nomen, quo vocabunt eum: IEHOVA iustitia nostra.

Tribuitur hic Christo nomen Dei proprium, ait Propheta, Messiam vocari, id est, inuocari hunc, de, quod sit germen Dauid, & Deus omnipotens.

Ac iuniores meminerint hanc regulam: Affectiones de omnipotentia, & de inuocatione, tribuuntur Messia, quæ adduntur plerumque à Prophetis, resque prestigias Iudeorum, & corruptentium naturam significationem appellationum.

Ignatius, Episcopus Antiochenus, qui familiariter fuit Apostolis, & Christum vidit post resurrectionem, & qui sub Traiano, iam senex, Romæ bestiis obicitur, scripsit in Epistola ad Trallianos: Quod unus Deus se patefecerit per Iesum Christum Filium, & ἑαυτοῦ λόγῳ ὁ ἄριστος ἄλλ' ὁ ὁσιώδης.

Notissima sit etiam adolescentibus confessio Gregorij Neocesariensis, qui miraculis clarus fuit, vocatus fuit ad cognitionem contra Samosatenum Unus DEVS, Pater verbi viuentis, sapientiae scientis, & imaginis suæ integer integre genitor, Pater

Filij unigeniti, Vnus Dominus, solus ex solo, imago Patris, Filius sempiternus ex sempiterno. Vnus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia cognoscitur.

Et Ecclesia Græca retinet Hymnum, in vsu familiarium, quem nominat carmen tresanctum, eumque accessisse dicitur, per manus ab Apostolis, testibus Basilio et Nicephoro, in quo dulcis est asseueratio, de natura diuina Filij, et presentia eius in Ecclesia.

Φῶς ἰλαρὸν ἁγίας δόξης, ἀθανάτου πατρὸς, ὄντα γίνεσθαι, ἁγίος μακάρος, Ἰησοῦ χρίστου. ἔλθόντες ἐπὶ τῆν ἡλίαν δύσιν, ἰδόντες φῶς ἐπιειρόμεν, ὑμνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, θεον. Ἀξιος εἶ ἐν παντί καιροῖς ὕμνε τῶν φωναῖς ἁγίαις, υἱέ θεοῦ: ζωὴν διδούς. Διὸ ὁ κόσμος σε δόξαζω.

O lumen augustum, sanctæ lucis, immortalis Patris, celestis, sancti, beati, Iesu Christe, postquam peruenimus ad Solis occasum, et intuemur vespertinum lumen, laudamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, Deum. Dignus es, ut in omni hora faustis vocibus celebretis, Fili Dei, qui das vitam. Ideo mundus gloriæ fiat.

DE VNIONE DVARVM NATUREARUM IN FILIO.

I 2

Qua

Quæ persona assumpsit humanam  
naturam ?

Filius, qui est coæterna imago æterni Patris, nominatur λόγος à Iohanne, assumpsit naturam humanam, in Maria virgine, matre, Vt Iohannis prædicitur : Et verbum caro factum est.

Quot sunt modi præsentia  
Dei ?

Quatuor :

1. Est præsentia Vniuersalis in conseruatione substantiarum, qua sic adest Deus omnibus creaturis bonis, & malis, vt conseruet earum substantias, tam sper, donec vult eas conseruare. De hac vniuersali præsentia dicitur : Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus. Et notus sit Versus :

Enter, præsender, Deus hic & vbiq; potenter.

Res destruuntur, quando Deus eas amplius non conseruat.

Ergo hæc præsentia est separabilis.

2. Modus præsentia, nominatur specialis, quia Deus est in beatis, scilicet ita, vt non tantum seruet substantias : Sed sese eis communicet, complens eos luce, & iustitia, & viuificans eos vita æterna, & immediatè conspicitur ab eis. Et quanquàm non distat ab eis, tamen Deus, & Angelus beatus, seu homo beatus, non sunt vnum ὁμοῦς ἁπλοῦς : Sed adest eis specialitate, & re ipsa est separabilis. De hoc modo dicitur

etur: Deus erit omnia in omnibus, scilicet in beatis, id est, sic erit in eis, ut non sit simul peccatum.

3. Modus nominatur etiam specialis, quo est in Sanctis in hac vita, non tantum seruans eorum substantias, sed etiam efficiens in eis nouam lucem, & motus sibi placentes, & conspicitur non immediate, aut visibiliter, sed per verbum. Hanc presentiam separabilem esse manifestum est, iuxta dictum Petri Apostoli, de redemptibus ad vomitum.

Ac sciendum est in hoc tertio gradu comprehendere presentiam Filij Dei in ministerio, qua ipse reuera adest Verbo & Sacramento, iuxta promissionem suam: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Nec tribuatur voci Evangelij, aut visibilibus signis Sacramentorum, vis Physica, vel Magica, immutans hominem nihil tale cogitantem, aut etiam repugnantem, ut Enthusiaste fingunt, sed loquamur de presentia voluntaria, libera, & viuifica, qua ex pacto Filius Dei, per Spiritum sanctum efficax in mente, & voluntate hominis agentis Pœnitentiam exhibet beneficia illa, quorum fit denunciatio voce promissionis, aut quorum fit obsignatio, & applicatio, in vero usu Sacramentorum.

Estque hic tertius gradus presentie propter hominem, cui facta est promissio. Quia in hac vita Christus est efficax per ministerium, & non aliter, iuxta illud: Evangelium est ministerium spiritus. Item: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

## 4. Modus longè discernendus ab alijs.

Est talis præsentia, qua secunda persona diuinitatis, assumpsit humanam naturam, non solum inseparabiliter, sed ita, ut sit unum completum ὑψίστου ἁπλοῦς illa natura humana, & λόγος, assumens naturam humanam & ut λόγος naturam humanam inquam deserat, utq; in Christo ex virgine nato habet omnis plenitudo diuinitatis σωματικῶς, id est, non sint tantum particularia dona, ut in alijs sanctis beatis, sed immensa perfectio & omnipotentia, & efficacia perficiens omnia in omnibus suis membris, quod ὁ λόγος, qui est essentialiter Deus, & natura sumpta sunt una persona. Hic quartus modus naturæ unio Hypostatica, vel personalis.

## Quid est unio hypostatica?

Est quæ personam unam constituit ex duabus naturis, id est, qua sola hæc persona λόγος assumens humanam naturam non solum inseparabiliter, sed in tali unione, ut sint unum ὑψίστου ἁπλοῦς, utq; assumens natura totam habeat ordinem ad λόγον assumens, ut massa illa non esset, nisi sic gestaretur & sustentetur à λόγῳ.

## Qualia ostenduntur exempla huius unionis?

Nullum exemplum huius unionis est in Creaturis, quod prorsus congruat. Vetustas autem, ut aliquando declarat hanc unionem, ostendit hominem. Vnde in Symbolo Athanasij dicitur: sicut anima rationalis



Ἐ καὶ οὗτος ἑστὶν ὁμοῦς : Ita Deus ἔστιν ὁμοῦς ἑστὶν  
 Christus. Et uerba hæc apud Iustinum leguntur digna  
 memoria: τινὲς μὲν τὴν ἑνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα  
 μακρόθεν οὕτως ἐκ δευτέρου καὶ ἀξιομαθῆ  
 ὄν γε τὸ παράδειγμα, ἔκαστος μὴ καὶ πάντα, καὶ  
 τῆς οὐσίας. Id est, Quidam unionē hypostaticam, ut anima  
 unionē ad corpus intelligentes sic ἔστιν enarrarunt. Quod  
 exemplum sanè concinnum est: Etsi enim non per  
 omnia congruit, aliquomodo tamen congruit.

Sicut anima, ἔστιν corpus hominis, sunt unum com-  
 pletum ὑποστάσεων: Ita unitur unionē Hypostas-  
 tica λόγου, ἔστιν natura assumpta. Et sicut anima ges-  
 tit, ἔστιν uiuificat corpus: Ita natura assumpta, susten-  
 tatur à diuina. Et ita tota natura hominum, seruatur à  
 Filio, cui credentes inseruntur, tanquam surculi arbori,  
 qui accipiunt uitam, ἔστιν uitalem rigationem à trunco.  
 Ac sicut discedente anima, corpus extinguitur, resolu-  
 tum in cineres ἔστιν elementa: Ita assumpta massa, redde-  
 getur in nihilum, si non gestaretur à λόγῳ. Et nisi  
 factum esset hoc decretum, de copulatione duarum na-  
 turarum in Filio, totum genus humanum, funditus fuisse  
 set extinctum. Hac similitudine usi sunt Iustinus, Atha-  
 nasius, Augustinus ἔστιν Cyrillus.

#### Quæ est dissimilitudo in exemplo:

Anima deserit corpus, sed naturam humanam,  
 quam semel assumpsit λόγῳ, nunquam deserit.  
 Sic enim Athanasius inquit dialogo 4. de sancta  
 Trinitate: Διὰ τὸ πάθος καὶ ἡ ἑνωσις, καὶ  
 I 4

διὰ τῆς σωτηρίας τὸ πάθει σωσαί ἡμεῖς  
 ἔπαθεν παθεῖν δὲ θέλω ἡνωσεμ ὁ ἐνώσαμ  
 ἔφικεμ, Id est, ut pati posset, assumpsit huma-  
 naturam, & ut nos saluaret, passus est. Volens  
 nos saluare passus est, & volens pati uniuert sibi na-  
 turam, quam assumpsit, & quod semel uniuert sibi,  
 quam postea dimisit.

Recense regulas obseruandas in doctrina  
 de vnione duarum naturarum in  
 Christo.

1. Regula.

Assumpsit λόγῳ humanam naturam in-  
 gram, & incorruptam, corpus & animam sine  
 cato, habentem proprietates naturales, omnes virtutes  
 appetitiones, naturæ humane proprias, & ordinatas  
 Item, eas infirmitates, quæ sunt poenæ, nō peccato  
 delicti, naturam humanam passibilem, & mortalem  
 sentientem, dolores, & alios affectus, sine peccato,  
 dicitur ad Ebræos: Non habemus Pontificem,  
 non possit compati infirmitatibus nostris.

2. Regula.

Non facta est conuersio vnius naturæ in alteram  
 vel confusio, sed utraq; natura retinet suas proprieta-  
 tes, sine confusione.

3. Regula.

Doctrina de communicatione Idiomatum neces-  
 strat discrimen inter Christum, & alios Sanctos.

inter unionem hypostaticam, & societatem, seu auxili-  
lium Dei, in alijs sanctis.

## 4. Regula.

Discernendæ sunt appellationes, significantes pro-  
prietates naturarū, ab appellationibus, quæ significant  
officium. Quia nomina officij competunt toti perso-  
næ, non alteri naturæ scorsim.

## 5. Regula.

Filius  $\delta$  λόγ $\omega$  consideratur duplici respectu.  
Aliàs quo ad essentiam diuinam, vt Deus dator bono-  
rum cum Patre & Spiritu sancto, aliàs, quo ad offi-  
cium, vt persona missa, ad ministerium redemptionis,  
& saluationis.

## 6. Regula.

Diligenter considerandi sunt modi loquendi, vbi  
propositiones veræ sint communicatione Idiomatum,  
in quibus nequaquam fit confusio naturarum, vbi in  
abstracto natura secundum sese consideratur, nec com-  
prehendatur persona, ubi non fiat mentio proprietatis  
seu idiomatum alterutrius tantum naturæ, sed ap-  
pellationum officij competentis personæ, quæ est Deus  
& homo, habens actiones in utraq; naturâ: Item, quæ  
propositiones receptæ sint, quæ non receptæ.

Quid est communicatio Idioma-  
tum?

Est Prædicatio, in qua proprietatis unius naturæ,  
dicitur de persona in concreto, & significatur, in Chri-  
sto duas esse naturas, non tantum ita, vt altera sit socia  
I 5 & separa.

& separabilis, sed sic, quod λόγος assumpsit humanam naturam, miranda unione, inseparabili, & personali.

Quis est fons doctrinae, de communicatione Idiomatum?

Unio Hypostatica, & distinctio proprietatum cuiuslibet naturae.

Qua est ratio propositionum, & modorum loquendi?

Propositio in abstracto, significat naturam, secundum se consideratam. Propositio in concreto, significat personam seu ὑπὸς ἑαυτὴν. Non igitur vera Propositio: Natura diuina moritur, vel vulneratur. Sed ista est vera: Deus est mortuus, Dominus gladius est crucifixus.

Quid interest inter istam propositionem Patientem Baptista, DEVS patitur, Et istam: Patientem Christo, Deus patitur?

Respondeo: Prior propositio figurata est vera per Metaphoram. Quia relatio vel contemptus ad Deum pertinet, ut contumelia Legati, pertinet ad Dominum relatione, vel cogitatione. Interea verbum accipit Iohannes, non DEVS.

Propositio altera: DEVS patitur, loquitur de Christo, etsi est inusitata: tamen non est figurata seu Metaphorica, Quia haec persona patitur, accipit

vulnus, & moritur, quæ est natura Deus, etiamsi laceratio tantum fit in corpore, Nec enim intelligitur Physica confusio naturarum.

Recita. testimonia confirmantia hos modos loquendi.

Antequam Abraham nascatur, ego sum. Crucifixi sunt Dominum gloriæ. Videbunt in quem confixerunt. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. Iste formæ nullam significant uel naturarum uel proprietatum confusionem. Quod probatur: Quia de uno & eodem Christo hæc dicuntur, & tamen intelligi discrimina naturarum oportet. Nec sit diuulsio personæ, sed sua cuique naturæ proprietas attribuitur. Sicut particula distinctiua manifestè ostendit. Rom. 1. Natus ex semine David secundum carnem. Item: Act. 2. Resurrexit secundum carnem. Item: 1. Pet. 4. Christus passus est carne. Retinenda est igitur personæ unitas, & tamen non confundenda sunt nature. Hic addantur & testimonia uetus statim. Irenæus inquit: Mortuus est Christus, quiescente uerbo. ἡ συχάζουτος τοῦ λόγου. Item Hieronymus: Passus est filius Dei secundum id, quod pati poterat. Item Athanasius dialogo 4. de S. Trinitate: ὁ θεὸς λόγος οὐ δύναμις, οὐ φύσις τῆς θεότητος ταπεινωθῆναι μετὰ θανάτου, ἔλαβεν αὐτῷ ἐκ μαρτίας ἐμψυχὸν σῶμα, τὸ δὲ δύναμις οὐ ταπεινωθῆναι μετὰ θανάτου. οὐ γὰρ φύσις θεότητος ὑπέρμαλλον ἀπέθανεν, ἀλλ' ἐνώσασεν ἐαυτῷ σῶμα ἐμψυχὸν τὸ δὲ δύναμις οὐ μετὰ θανάτου.

Item.

Item de communicatione Idiomatum, inquit Theodor-  
 tus: Communicatio nominum non facit confusione  
 naturarum, ὅτι σύγχυσις ἐιργάσατο τῶν φύσεων  
 ἢ κοινότης τῶν ὀνομάτων. In Synodo Ephesina  
 ori dicitur: Patiente Christo, passio refertur ad Deum  
 verbum, nam λόγος eam sibi applicat, non quod  
 sua natura pati possit, sed quod corpus illud, quod ip-  
 sus proprium factum est, patiat. Et alterius Synodi  
 decretum est: Si quis dicit, quod in passione crucis  
 lozem sustinuerit Filius Dei, diuinitate, & non carne  
 & anima rationali, quam assumpsit in serui forma,  
 dixit sancta Scriptura, Anathema sit. Vide capitulum  
 libri 9. Tripartite historie.

Discerne modos vsitatos loquendi ab  
 inusitatis, & non receptis.

Vsitate & recepte sunt hæc propositiones: ὁ  
 γὼς est Deus, λόγος est homo, Christus est Deus  
 Christus est homo. Ista est prorsus falsa: λόγος  
 creatura. Hæc: Christus est creatura, reiecta est, pro-  
 pter insidias Arij, etsi natura assumpta, vere est crea-  
 tura. Nec recipiuntur istæ: Christus incepit esse. Ita  
 Christus factus est. Sed hæc recepte sunt: λόγος  
 factus est homo, & filius Dei incarnatus est, verbum ca-  
 ro factum est &c. & tamen Græcè melius dicitur  
 ὁ λόγος σὰς ἐγένετο. Rectè etiam dicitur: λόγος  
 assumpsit naturam humanam. Non dicitur vsitate  
 λόγος assumpsit hominem, quia homo est nomen

tegræ personæ. Et vsa est Ecclesia his formis loquendi: persona assumpsit naturam. Aut: duæ naturæ sunt unitæ. Aut: Natura humana unita est Filio Dei, unione hypostatica seu personali. Non verò dicitur: Natura seu essentia diuina assumpsit humanam. Nec: Natura diuina est assumpta. Poetica figura est, cum dicunt: Deus induit humanam naturam. Aut λόγος induit hominem. Has Poeticas figuras rectè interpretemur, ne ab unione personali discedamus. Recta est & illa Propositio: Christus est compositus, seu compositum ex natura humana, & diuina.

#### Quæ sunt nomina officiorum?

Mediator, Redemptor, Saluator, Rex, Sacerdos, Pastor. Ista communia sunt, seu conueniunt toti personæ, quia officium habet actiones in utraq; natura. Et in his actionibus, quæ ad officium pertinent, agit utraq; natura, cum communionem alterius, quod sibi proprium est, verbo scilicet operante, quod verbi est, carne exequente, quod carnis est, ut rectè dixit orthodoxa uetustas, Nec hæ appellationes, Mediator, Sacerdos, Rex, tantum intelliguntur de natura patiente, & moriente, sed de persona placante, uictrice, exaudiente, exhibente promissiones. Vt quidem suo loco hæc uocabula declarabuntur.

#### BREVIS EXPLICATIO ALI quot Argumentorum Iudaicorum & Arianorum.

Doctrinæ

Doctrina de Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, facit discrimen inter Ecclesiam, & omnes congregationes. Ideo hanc ab initio mundi acerbissime oppugnavit Diabolus. Odio DEI mox ab initio pulit blasphemum Cain, ut doctrinam de Filio Dei rideret, & negaret cum adesse in Ecclesia. Secuti sunt deinde maiores tenebrae in furoribus Ethnicorum comminiscantium tetra Idola, ex quibus aliqua profuerunt contumeliosa in Filium Dei, ut narrationes Pallade, & similia.

In populo etiam Dei, Pharisei & Saducei, in publicè contenderunt, in Messia non futuram diuinam naturam. Aetate Apostolorum, Ebion & Cerinthus eosdem Iudaicos furores renouarunt, qui postea refutati à Iohanne Apostolo, & auditoribus ipsius.

Sed postea quidam PAVLVVS SAMOATHENSIS, Syrus, Antiochia Episcopus, eadem doctrina sparsit, & testimonia Iohannis, de diuina natura Filij astute elusit. Occasio hæc fuit:

Schola Alexandrina, in qua florebat Plotinus Ammonius, quærebat mitigationem controuersiarum de religione, & proponebat concinnitatem blandæ rationi, & monstrantem consensum inter omnes rationes. Ideo dogmata absurda rationi, transformata in Allegorias: ut doctrinam περὶ λόγος: & uolebat in dissensiones, concutientes orbem terrarum horribili metu, tantum esse λογομαχίας. Hanc concinnitatem arripuit Samosatenus, qui captabat plausus Gymnasium



Zenobie Reginae, quae fuit imbuta opinionibus Iudaicis, à qua deinde defensionem habuit Samofatenus, cuius argumentum tale fuit.

Vocabulorum usus, sumitur ex communi consuetudine linguae. λόγος usitatè significat sonum euanescentem, uel deliberationem seu propositum. Imago uerò significat umbram rei alterius.

Neg; ista uocabula sunt nomina substantiarum, sed accidentium.

Ergo apud Iohannem & Paulum, per istas appellationes, nō est intelligendum ὑψίστου, sed quiddam accidentale. Ita igitur enarrabat propositionē Iohannis: In principio erat λόγος, id est, ab omni aeternitate DEVS decreuit, quod uelit se patefacere generi humano, missō hoc eccellente doctore Christo. Nominatur igitur λόγος illud decretum in Deo, & deinde ipse sonus promissionis edita. Resuscitarunt hunc furorem, nostra aetate, Seructus Hispanus, & quidam eius Satellites, Diaboli tuba.

Respondeo ad Maiorem: Intellectus sermonis in Ecclesia, sumitur ex fontibus scripturae Propheticae & Apostolicae, quae istis appellationibus aliter usa est, quam lingua communis.

Deinde ad Minorem: λόγος apud Iohannem, non est nomen accidentale, sed significat ὑψίστου  
υιου

uiuens, & uerè subsistens, ut supra ostensum est in  
monijs & rationibus.

λόγος fuit apud Patrem.

Mundus est conditus per λόγος.

Ergo est nomen personæ.

λόγος est factus caro, id est, assumpsit naturam  
humanam.

Ergo significat personam distinctam à Patre.

Quia Pater non assumit naturam humanam.

neq; ulla cogitatio, uel deliberatio a Patre.

Patris, transijt in naturam humanam.

2. Ita enarrant hunc locum ueteres Interpretes  
auditores Iohannis Apostoli, & tota uetus Ecclesia.

3. Vniuersa scriptura Prophetica affirmat  
Messia esse naturam diuinam. Eam igitur sub nomine  
λόγος descripsit Iohannes. Fuit refutatus Samosatenus  
à duobus præcipue, à Dionysio Alexandrino, &  
intelligebat insidias Philosophorum, & Gregorio  
cæsariense. Quod ad uocabulum imaginis attinet,  
significat hic cogitationem euanescentem, sed integram  
uiuam & ὑφιστάμενην imaginem, de qua dicitur  
quod sit creatrix mundi, & perpetuo præsens in Ec-  
clesia.

## QVIS FUIT ERROR

Arrii &

Arrius presbyter Alexandrinus, etate Constantini  
Magni, astute alia specie renouauit furorẽ Samosateni

teni. Concedebat λόγον significare personam, sed dicebat, eum non esse coeternum Patri, sed summam creaturam ex nihilo conditam.

Vsus est talibus formis loquendi: ἢ πότε οὐκ ἔνυ λόγῳ. Erat Pater cum nondum esset λόγος. Item dixit: λόγον esse ἐξ οὐκ ἔντωρ, ex non existentibus, id est, ex nihilo. Ita & ipse negat, Filium esse de essentia Patris, & omnipotentem.

Istam Propositionem: λόγῳ est Deus, transformavit in Metaphoram, ut Deus intelligeretur, generans diuinum officium, perinde sicut Magistratus nominantur Dij, Psal. 82.

### Quomodo refutati sunt furores

Arrij r

Ex tribus fontibus deductæ sunt refutationes.

1. Narratio apud Iohannem ostendit λόγον esse nomen personæ omnipotentis, quia dicitur:

Erat in mundo, & mundus per ipsum factus est.

Ergo in Christo est natura diuina, conditrix cum Patre. Huc pertinent omnia similia scripturæ testimonia.

2. Scriptura discernit Filium unigenitum, à filiis adoptionis, ut ostendat in Christo naturam diuinam.

3. Tota Scriptura tribuit Christo omnipotentiam, & præcipit eum esse inuocandum.

Ergo est natura Deus.

Nunc breuiter respondeo ad præcipua argumenta.

K

1. Argue

## I. Argumentum.

Deus non patitur, nec moritur.  
 Christus est passus, & mortuus.  
 Ergo non est Deus.

Respondeo ad Maiorem. Concedo, diuinam naturam nec pati nec mori, sed tamen propositio vera in concreto: Deus patitur, Deus vulneratur, Deus moritur: De Christo Deo & homine, propter unionem hypostaticam duarum in ipso naturarum. Intellegenda est enim communicatione idiomatum.

Minor Christus mortuus est, scilicet, secundum naturam humanam. Regula enim certa est: Cum Christo duae sint naturae, quaedam propria uni naturae non impediunt, quo minus adsit altera natura. Propria autem sunt naturae humanae, edere, bibere, dormire, lacerari membra, pati, mori. Sed haec non impediunt, quo minus adsit diuina natura. Nam diuina quae uis moriente Christo, id est, cessit ira aeterni Patris uersus peccatum generis humani, non exeruit suae uires, & uoluit hanc humilitatem, & obedientiam.

Itaque Petrus inquit: Christum passum esse carnem. Et Irenaeus pie dixit: Christum crucifixum, & mortuum esse requiescente uerbo, ut crucifigi, & mori non posset. Nec tamen λόγος naturam humanam deriuit in passione, & morte, sed quamuis facta est separatio animae Christi à corpore, sicut dicitur: Eam expirasse in cruce; tamen interea natura diuina adsit utriusque, & corpori quiescenti in sepulchro, & anima separata

Separata à corpore. Ac sicut voluit mori naturam humanam: Ita voluit etiam eam non manere in morte, iuxta illud: Ego habeo potestatem ponere animam, & rursum eam sumere.

### 2. Argumentum.

Christus dicit: Pater maior est.

Ergo Filius non est natura Deus.

Respondeo: Nego consequentiam, & ratio est, quia quod in antecedente citatur dictum Christi, loquitur non de essentia, sed de officio Filij. Maior me, scilicet, misso ad hoc ministerium humiliationis. Duplīciter enim considerandus est Filius Dei, Aliās ut Deus dator honorum cum Patre & Spiritu sancto. Aliās ut persona missa. Obedientia verò, & missio, non tollunt æqualitatem essentia.

Veteres respondent ad hoc argumentum, ex communicatione Idiomatum. Est maior me, scilicet, secundum naturam humanam. Hæc responsio minus est opposita, quia Christus loquitur de sua persona, non de altera natura scorsim.

### 3. Argumentum.

Honorans est minor honorato.

Filius honorat æternum Patrem.

Ergo est minor Patre.

Respondeo: Nego Maiorem: Honor est nomen ordinis, & non tollit æqualitatem essentia. Propositio vera est: Filius magis in tota æternitate honorat

K 2 Patrem,

Patrem, quàm vlli Angeli, aut homines, quia ipse perfectissimè intelligit, & agnoscit Patrem, & ideo perfecte eum diligit. Sed inde non sequitur: Ergo Filius Essentia est inferior Patre.

Essentia est eadem, sed differunt relationibus, proprietatibus, & officio.

#### 4. Argumentum.

Natura creata non est aeterna.

Filius est creatus.

Ergo non est ab aeterno. Sed est  $\pi\lambda\acute{\alpha}\tau\epsilon\rho\upsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\rho\omega\tau\omega\rho$ .

Minorem probabant Arriani. Prouerborum scriptum est: Deus creauit me initium viarum suarum.

Iudaica responsio est: Sapientiam ibi significat, non personam, vel  $\upsilon\pi\alpha\rho\lambda\omega\sigma\upsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\rho\omega\tau\omega\rho$ , sed doctrinam reuelatam. Rectius verò est, fateri, significare ibi Filium, quia additur sapientiam illam fuisse conditricem mundi, semper presentem in Ecclesia, & efficacem in Ecclesia. In citatione dicti Salomonis est fallacia figure dictionis. In Hebræo textu ita legitur: Dominus posuit me initio viarum suarum, id est, operum, vel consiliorum. Dicit se esse illam personam, per quam immediate profertur promissio, & quæ immediate ad Prophetas loquitur, & quæ adest immediate verbo uocali, & per illud est efficax.

#### 5. Argumentum.

Christus

Christus in cruce clamat: DEVS, Deus meus,  
quare me dereliquisti.

Ergo non est natura Deus, Quia natura diuina  
non deseruisset humanam, si esset natura  
DEVS.

Respondeo: Vsitatum dictum est: Distingue  
tempora, & conciliabis scripturas. Alia dicta loquuntur  
de Christo regnante, alia de Christo humiliato,  
& patiente. Hoc dictum loquitur de tempore  
humiliationis, & obedientie in morte. Et est que-  
rela ita tristis, vt nostra angusta pectora, non in-  
telligant harum rerum magnitudinem. Queritur Filius  
us Dei, non quod natura diuina sit separanda ab hu-  
mana, sed quod in sua tristissima passione, nondum sen-  
tiant consolationem, & liberationem  $\eta\sigma\upsilon\chi\alpha\lambda\acute{\alpha}\xi\omicron\upsilon\tau\omicron\varsigma$   
 $\tau\omicron\upsilon\ \lambda\acute{o}\ \gamma\epsilon\varsigma$ , id est, diuina natura obediente eterno Pa-  
tri, & quiescente, nec mox liberante humanam natu-  
ram a morte, & ab horribilibus doloribus interioribus,  
quos sustinebat anima.

#### 6. Argumentum.

Deus non potest exaltari.

Christus est exaltatus.

Ergo non est natura Deus.

Minor declaratur ex Epistola Pauli ad Philippens

sts. Vbi dicitur: Christum esse exaltatum.

Iuniores teneant breuem & veram enarrationem  
integri dicti Paulini: Sic sitis affecti, sicut & Christus  
Iesus affectus erat, qui cum esset in forma Dei, non ras-

pinam arbitratus est, esse æqualem Deo, sed seipsum  
 exinaniuit, formam serui accipiens, & gestu inuacat  
 est ut homo. Simplicissima interpretatio membrorum  
 ista est: Vocabulum forma mutuatus est Paulus in  
 dicto Davidis: Et aspicias me in forma hominis &c.  
 Forma Dei, significat Essentiam & potentiam di-  
 uinam. Non duxit rapinam, id est, non rapuit. Hoc  
 significat Phrasis ἡ γένεσις οὐκ ἔλαβεν ἑαυτὸν  
 ἰσοπέδιον. Id est, cum esset natura Deus, non rapuit con-  
 tra missionem suam usum omnipotentie diuine in  
 defensionem. Sed seipsum exinaniuit, id est, non  
 usus sua potentia extra vocationem, sed voluit hanc  
 obedientiam. Accepta forma serui. Formam serui  
 minatur, & naturam humanam, & proprietates natu-  
 re humane, passibilitatem, lætitiā, dolores, morta-  
 litatem, sine peccato. Accepit formam serui, volu-  
 cet, non habentis defensionem, & sustinentis poenā  
 & iram aduersus peccata generis humani. Factus  
 similitudine hominum, id est, fuit homo, & quibus  
 similis alijs, scilicet, passibilis & mortalis, sed sine pec-  
 cato. Gestus inuentus est ut homo, id est proprietatibus,  
 sensibus & affectibus humanis. Factus est obedi-  
 ens, id est, humiliavit se, non repulit mortem, voluit  
 hanc obedientiam, in sustinenda poenā, cum sciret hoc  
 esse voluntatem æterni Patris, ut sic soluerentur dæmonia  
 pro genere humano.

Ad argumentum Veteres respondebant. Est ex  
 tatus secundum naturam humanam, fuitus imp-



bilis & immortalis. Rectius est respondere ex diuinitate temporis. Dicitur loquitur non de tempore humiliationis seu glorificationis, videlicet, Christum iam liberatum ex morte, & rursus ornatum aeterna & ineffabili gloria, esse exaltatum ad dexteram aeterni Patris in regno & in sacerdotio.

## 7. Argumentum.

Subiectio ostendit inaequalitatem.

Filius subiecit se Patri.

Ergo est inferior Patre.

Minor ostenditur ex dicto. 1. Cor. 15. Tradet Regnum Deo & Patri. Tunc & ipse Filius subiecit se Patri, qui subiecit ei omnia.

Responsio Cyrilli: Nego Minorem. Subiectio seu obedientia, non tollit aequalitatem essentiae, vel potentiae.

Magis propria responsio est: Paulus loquitur de officio, non de Essentia. Regnum Christi est aeternum. Sed modus differt in hac vita, & post hanc vitam. Modus in hac vita est proprie, hanc personam missum esse, ad colligendam Ecclesiam, ministerio Euangelij, in quo diuinitas immediate efficax est per Filium, qui est caput omnia in omnibus perficiens &c. Sed modus regni in vita aeterna erit, non per ministerium Euangelij, quia tunc Deus immediate erit omnia in omnibus beatis, & agnoscent eum beati à facie in faciem.

Tunc igitur & hæc persona, Christus, quæ  
Deus & homo, ut persona missa, seu, in quantum  
& caput Ecclesiæ, erit sub Patre, seu diuinitate  
tente. Ostendet enim suam subiectionem & missionem  
à Patre, & tradet regnum Patri, id est, adducet  
citatem Ecclesiæ ad Deum, seu in conspectum Patris  
ut diuinitas regnet immediatè, non in ministerio. Quod  
hoc agnosci oportet, quod per Filium rursus ad Deum  
tanquam ad caput, adiuncti sumus. Sicut ad Ephesum  
dicitur: Deo placuit omnia *ἀνακεφαλαιώσασθαι*  
id est, redigere in unum caput, in Christo.

## 8. Argumentum.

Facere est creare.

Pater fecit Christum.

Ergo λόγος est creatura.

Minor probatur ex textu ad Hebræos 3. Deus  
fecit Christum sacerdotem summum.

Respondeo: Est fallacia figuræ dictionis. Fecit  
id est, libera voluntate ordinauit, seu constituit.  
probo: Quia loquitur de officio, non de essentia.  
docetur idem similibus exemplis, ut cum dicitur: Es  
qui non nouit peccatum, Deus fecit pro nobis pecca-  
tum, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso. Dicitur loqui-  
tur manifestè de officio, nequaquam uerò de essentia.  
Quia essentia Filij non est peccatum, sed Deus con-  
stituit, vel ordinauit eum, hostiam pro peccato.

## 9. Argumentum.

Omniscientia, & omnipotentia sunt proprietates, conuenientes soli Deo.

In Christo non est omniscientia & omnipotentia. Ergo in Christo non est natura diuina.

Minorem probo: Matth. 20. dicitur: Sedere ad dextram meam, & sinistram, non est meum dare uobis. Item: Marci 13. De die illa uel hora, nemo scit, neq; Angeli in caelo, neq; Filius, nisi Pater.

Respondetur ex eadem regula: Multa dicta loquantur de officio, non de Essentia. Sedere ad dextram meam, non est meum uobis dare, scilicet, in hoc officio, quo nunc fungor, missus ad hanc obedientiam, in docendo, & patiendo. De illo die non Filius scit, scilicet, quatenus ad hoc officium docendi Euangelium, in hac uita, missus est. Ad id officium pertinet asseuerare, quod sit futurum iudicium, resuscitatis mortuis, sed diem & horam praedicere, ad hoc officium non pertinet.

### Qualis fuit controuersia Nestorij:

Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, iuuenis, audax, indoctus, & loquax, mouit certamen, de unione naturarum in Christo Deo & homine. Contendebat enim Christo adesse diuinitatem, tanquam sociam uel auxiliatricem, separabiliter, & tollebat unionem hypostaticam. Ita diuellebat naturas, & non concedebat hanc propositionem: Maria est  $\theta\epsilon\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$ , neq; istam: Emmanuel, Filius Dei & hominis, est adorandus, unica  $\lambda\epsilon\iota\tau\epsilon\iota\varsigma$ . Ita uero loquebatur: Propter as-

sumentem veneror assumptum, propter inuisibilem  
 adoro visibilem. Is qui susceptus est, cum eo qui  
 pit conuincatur DEVS. Δόγος est DEVS  
 & Dominus Christi, CHRISTVS est  
 Noli gloriari iudæe, non enim Deum crucifixisti  
 hominem.

Quales sunt insidiæ in illo dogmate

Sub nouis prestigijs instaurantur contagia  
 mosateni. Nestorius simpliciter constituebat duas  
 sonas, & fingebat, Christum esse purum hominem,  
 ornatum excellentibus donis, & propter illam ex  
 lentiam, eum nominari DEVM. Ideo tunc ex  
 fuit vox cuiusdam Nestoriani, qui dixit: Non in  
 Christo, quod Deus factus est, quoniam si volo, &  
 possum fieri.

Quomodo refutatus fuit Nestorius

Ex doctrina de vnione Hypostatica duarum na  
 rarum in Christo, & ex pia declaratione forma  
 quendi, que nominatur communicatio Idiomatum.  
 Ita enim statuit synodus Ephesina, quam gubernauit  
 Cyrillus: Non est vnio propter excellentiam, non  
 assistentiam, non propter inhabitationem diuinam, non  
 efficaciam tanquam per organum. Nec dici debet vnio  
 iunctio, sed est vnio ἡ ὑποστάσις, id est, essentia  
 vnus ἡ ἰσότης, propemodum qualis est anima  
 corporis. Vnus est Christus, & vno cultu adoratus  
 filius Dei vnigenitus cum propria carne. Persona

ratur, non altera natura scorsim; dixit, Synodus constantinopolitana Quinta. Maria est Θεοτοκος, quia peperit carnem unitam λόγῳ ὑποστατικῶς, id est, unione personali.

Quare necesse est ista sciri:

Quia necesse est intelligi, infinitum discrimen esse, inter CHRISTVM, & Eliam, & necesse est retineri hanc sententiam, quod in Christo nato ex virgine, sine duæ naturæ, λόγῶς, & humana, quodq; λόγῶς sit missus, ut, assumpta humana natura sit Saluator, utq; semen mulieris conterat caput serpentis. Itaq; sepe intueamur testimonia fidem confirmantia de utraq; natura, ut gloriam filij Dei agnoscamus, & potentie ipsius ac presentie cogitatione nos confirmemus, ac leti accedamus in inuocatione ad istum Dominum, in quo est utraq; natura. Sicut ipse præcipit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Et: inuocabunt eum, Deus iustitia nostra.

Quæ fuit controuersia, mota ab  
EUTYCHĒ

Eutyches Monachus Constantinopolitanus, damnato Nestorio propter deletam doctrinam de unionem duarum in Christo naturarum, ne videretur Ephesine synodo contumaciter, excogitauit contrariam Hyperbolen.

Synodus Chalcedonensis recensuit tres errores Eutychis.

1. Quod

1. Quod confuderit naturas in Christo, & eorum proprietates, & post assumptionem statuerit Christo tantum unicam naturam.

2. Quod diuinam naturam posuerit passibilem & mortalem.

3. Quod contenderit humanam naturam Christi ex caelo allatam esse, nec ὁμοῦσιον, seu consubstantialem esse nostrae.

Quales erant insidiae in hoc dogmate?

Etiam iste praestigiator renouauit errores Sabaiteni. Ita enim deleuit doctrinam de communicatione Idiomatum, ut statueret Physicam confusionem naturarum, nec tribueret proprietates suas cuique naturae. Quia contendit naturam humanam in Christo, ipsam naturam τὸ λόγῳ eamque mortuam esse. Et voluit in Christo tantum esse humanam naturam, praestantiorem alijs, propter dona.

Ex quibus fontibus fuit refutatus Eutyches?

Ex testimonijs diuinae vocis, distinguentibus in Christo naturas, & proprietates illarum, & asserentibus, humanam naturam Christi non esse spectantem nec ipsam naturam τὸ λόγῳ: Sed habere proprietates corporis & animae substantiales, ac esse unitam τὸ λόγῳ κατὰ ὑπόστασιν sine confusione Physica proprietatum, & actionum.

Talia dicta sunt: Christus passus est carne. Caro eius non vidit corruptionem. Spiritus carnem & ossa non habet. Surrexit, non est hic. Gestu inuentus est, ut homo.

Facta igitur sunt contra eum talia decreta:

Nestorius, inquit, finxit unionem, non hypostaticam sed accidentalem. Eutyches sustulit unionem facta confusione naturarum: Orthodoxi loquuntur de hypostatica, seu, personali unionem, & confitentur unum Christum in duabus naturis, ἀσυγχύτως, id est, citra confusionem, ἀτρέπτως, id est, citra mutationem, & ἀμίχτως, id est, citra diuisionem, ἠχώριστως, id est, & citra separationem, seruatis utriusque naturae proprietatibus, in vna persona. Manent enim in unitate, perfectae naturarum proprietates. Anathema pariter diuidenti, & confundenti.

Reiecta igitur physica confusione proprietatum, recte declarata & stabilita est forma loquendi, per communicationem Idiomatum.

Neque vero subito extincta sunt contagia Nestorij, & Eutychis: Sed subinde nouae praestigiae sunt excogitatae, sicut factum est ab illis Eutychianis, qui nominati sunt.

ACEPHALI ET MONOTHELETHÆ.

Isti pinxerunt suum dogma hoc modo, Dixērunt

32  
 runt: Quia in Christo est operatio θεου & ομοουσιου, id est  
 quia unus & idem Christus θεος & ομοουσιος diuina  
 humana operatur, ideo unam in Christo & uolun-  
 tem & operationem esse, neque si diuersa sint opera  
 duas operatrices naturas recte dici. Hoc modo  
 callide in Christo confunderent naturas, sicut Eue-  
 ges, orthodoxa Synodus Constantinopolitana sexto  
 spicue testata est: In Christo esse duas uoluntates  
 distinctas, Omnipotentem, & finitam, ueritatem  
 unionem hypostatice. Proinde distinctas etiam  
 rationes seu actiones esse sine confusione natura-  
 rum proprietatum, propter unionem naturarum.

De uoluntate propria humanae naturae in Ch-  
 ristum pij hoc dictum: Non ut ego uolo, sed ut  
 De uoluntate naturae diuinae citantur hoc: Non  
 uult Patrem, nisi Filius, & cui uult Filius re-  
 spondere. Nam id uelle proprium est τὸ θεοῦ, qui cum  
 no Patre elegit Ecclesiam, & in ea efficax est.

Quomodo refutari debent furores  
 HOMETI, detrahentis CHRIS-  
 STO diuinam naturam

Arrius, oppressus subita consternatione, in lat-  
 eribus considerens, Constantinopoli, effudit intestina, exitio  
 poena, penè simili exitio Iude proditoris. Non  
 autem urbs Constantinopolis: sed tota collumies  
 metica est Cloaca Arii. Nam profana ingenia, per  
 vicia



fixarum inter Christianos, cupidè receperunt hæc  
dogma plausible, extractum ex disputationibus  
Arij.

Juniores ediscant hos duos Syl-  
logismos.

## I.

Nulla doctrina de DEO, posterior Apostolis,  
& dissentiens ab Evangelio, uera est.

Mahometi doctrina, plus quingentis annis postea  
rior est Apostolica, & dissentit ab ea.

Non est igitur uera.

Maiorem confirmant miracula, addita doctrina  
Apostolorum.

Impossibile est, Ecclesiam Dei esse coetum, ex pro-  
fesso reiicientem Scripta Prophetica & Apo-  
stolica.

Mahometistæ ex professo reiiciunt Scripta Pro-  
phetica, & Apostolica.

Non sunt igitur Ecclesia DEI.

Maior confirmatur recitatione testimoniorum,  
ostendentium, Solam hanc doctrinam, esse à  
Deo patrifactam, Quæ initio huius libri mon-  
strata sunt & exposita.

Nostri ætate deliria Samosatani sparsit SER-  
VETVS in Italia, Gallia & Africa. Is anno Chris-  
ti 1553 propter blasphemiam à Magistratu Reipub.  
Genuesis, capitali affectus est supplicio.

Nu. 6

Nunc vagantur multi erronei, qui Mahometi  
blasphemiam circumferunt, aduersus gloriam filij  
ex quibus aliqui nominantur.

TRIDEITÆ, VEL ANTI-  
trinitarij.

Eorum deliramenta talia sunt.

Vtrique negant hanc propositionem: Pater, Filius  
& Spiritus sanctus, sunt vnus Deus, Quia scriptura  
proprium patris esse, ut appelletur vnus & solus Deus.  
Reijciunt vocabula: Trinitas, & τριά, ὁμοούσιος, & ὁμο-  
ούσιος, ὁμοούσιος, ὁμοούσιος, ὁμοούσιος, ut confundatur diuinitatis  
essentie & personarum. Hanc enim propositionem  
est prima persona diuinitatis: damnant. Gentilis  
tendit in voce diuina, solum Patrem nominari  
verum Deum, id est, primum & precipuum, Non  
solum patrem dixit esse & τὸ ὄνομα, id est, per excelsi-  
tiam verè & propriè nominari Deum. Filio deum  
concessit Dei nomen, sed quasi precarium, quia scilicet  
essentiatus sit a patre. Nec personam patris intulit  
aliud, esse quam essentiam, filij vero esse deificationem  
seu creatam tantum diuinitatem asseruit. Ergo tri-  
tribuit filio & Spiritui sancto vel naturam diuinam  
vel virtutem infinitam alio iure, nisi quo tanquam per  
apothecosin hęc personę finguntur in hunc honoris gra-  
dum recipi, & id accipere dono, quasi per communi-  
cationem quandam diuinitatis, quod ab aeterno non  
habuerunt.

Præcipuum

Præcipua, quibus nituntur isti fanatici,  
Argumenta hæc fere sunt.

Non oportet discedere à phrasi Prophetica, &  
Apostolica.

In voce diuina, non usurpantur hæc vocabula,  
Trinitas,  $\epsilon\upsilon\sigma\tau\iota\alpha\ \upsilon\pi\acute{o}\varsigma\alpha\sigma\iota\varsigma\ \upsilon\phi\iota\sigma\acute{o}\ \mu\upsilon\lambda\lambda\omicron\upsilon\pi,\ \delta\ \mu\omicron\delta\delta\omicron\iota\omicron\upsilon\pi.$   
&c. Ergo ea sunt repudianda, tanquam commenticia,  
& sophistica.

2.

CHRISTVS dicit: Hæc est vita æterna, ut  
cognoscant te solum verum DEVM, &  
quæ misisti IESVM esse CHRISTVM.  
Ergo Pater est solus verus DEVS, & non com-  
petit ea appellatio Filio.

3.

1. Cor. 8. dicitur: Vnus est Deus Pater, ex quo  
sunt omnia, & unus Dominus IESVS  
CHRISTVS, Dei Filius, per quem om-  
nia, & unus Spiritus sanctus, in quo omnia.  
Ergo solus Pater, est unus ille Deus, primus &  
præcipuus.

4.

Tres sunt, qui in cælo testimoniū perhibent, pater,  
 $\lambda\omicron\gamma\sigma$ , & Spiritus, & hi tres unum sunt.  
Ergo non rectè dicitur unus.

5.

In Symbolo dicitur: Deus ex Deo, lumē de lumine.  
Ergo solus Pater est verus Deus.

L

Quales

Quales sunt insidiae in istis blasphemis  
deliriose

Trinitate instaurarunt blasphemias Arijs, Socrati  
preestigijis Samosatensis, Photiniani & Eunomiani  
Nam ut posteriores Ariani, cum metu Magistratus  
se se inflecterent, concedebant λόγος esse naturam  
sed differentem à patre inaequalitate essentiae (unde  
excogitatus ille cothurnus: Filius est ὁμοούσιος  
ὁμοσίου) Ita isti nomi Architecti religionis Ariani  
quia tres personas in totidem οὐσίαις transformant  
uera statuunt tres Deos impares, & hoc habent  
Ariano commune, quod Patrem volunt ante filium  
fuisse, & quod unius veri Dei appellationem ad pa-  
trem restringunt, ut Filio, & Spiritui sancto, diuinam na-  
turam reipsa detrahant, & fingant illis tribui appella-  
tionem DEI, propter diuinas virtutes. Aperte eni-  
bunt, in Filio non esse substantiam immensam, sed  
esse finitum, & circumscriptum, & pro ratione  
modo finitae suae substantiae, in ipsum infinitam  
diuinae naturae transfundi. Ergo volunt Filium à Pa-  
tre distingui, illa sua finita substantia, sicut homines  
eiusdem speciei diuiduntur, & inter se discernuntur  
& quantitate corporea. Sed post Valentinum Ge-  
ntilem capitis supplicio Bernae affectum, ex eodem  
blasphemio Seruati ludo, in quo Gentilis venenum suum  
hauserat, alij prodierunt Antitrinitarij, unam diuini-  
tatis personam pro tribus ponentes, adeoque veteres  
haereses Samosatensi, Photini, Sabellij, Eunomij reliquas

ἄντις πνευματομάχοις, condemnatus veræ Ecclesie omnium temporum iudicijs renouantes, ac rursus in theatrum orbis terrarum producentes, ut tetrè ac impiè affirmare ausint Trinitatem, seu articulum de uno & trino Deo, humanum commentum esse Catholicis Symbolis incognitum, Item Christum esse Ἰδιὸν ἄνθρωπον, id est, non natura Deum, sed tunc demum filium Dei esse & nominari cepisse, cum natus est ex Maria virgine.

Ideo propositionem: Filius nascitur ex substantia patris: interpretantur vel de prædestinatione tantum & propositio patris, ut Samosatenus, vel de particulari transfusione donorum, ut Arius. Nam ut hic dixit: Filium esse ex DEO, & homines esse ex DEO, Ita isti dicunt, omnium rerum substantias, emanare ex natura unici DEI, patris, sed differenti modo.

Propositionem verò: λόγος factus est caro, planè interpretantur hi fanatici ex delirijs Samosateni & Eutycheis: Verbum factum est carneum. Dicunt λόγος physicè, & localiter colligatum corpori, ita ut extra corpus non sit. Negant unionem hypostaticam in Christo nato ex virgine, rejiciunt exemplum, quo veteres usi sunt, de copulatione animæ & corporis. Delent communicationem Idiomatum. Statuunt in CHRISTO nato ex virgine, vnam tantum naturam, sicut Eutycheis & Monotheletæ. Cuius faciunt  
L 2                      physicam

physicam confusionem proprietatum, necesse est, ut  
statuant naturam diuinam in CHRISTO passibilem,  
et mortalem. Itaq; dicunt: Falsa est propositio.  
In Christo sunt due nature unite unione hypostatica  
et quidem ἀτρεπίως καὶ ἁποχύτως, id est, sine  
alterutrius mutatione et confusione etc. Sed con-  
tendunt istam esse veram: CHRISTVS est homo  
DEVS, vel DEVS homo. Item: Caro, et sa-  
guis CHRISTI, sunt proprie substantia DEI, et  
diuina natura. Nam proprietates naturarum, que  
personae tribuuntur, physice misceri volunt.

Tales reipsa statuunt λόγον in Christo, esse et  
tamen illam naturam humanam, passibilem et mortalem.  
Sed ornata præstantioribus donis, quam fuit in aliis  
hominibus. Et quando nominant essentiam, vel natu-  
ram DEI, tantum per Metalepsin, intelligunt com-  
municationem diuinarum virtutum.

Nec alia de causa recens abrogauerunt scripturas  
quibus fit recordatio de essentia, et beneficijs Christi.  
quam ut paulatim doctrina πρὸς λόγον, id est, de Filio  
Dei blasphemijs ipsorum prorsus aboleatur.

#### Ex quibus fontibus refutantur ista deliramenta.

Omnia testimonia vocis diuinae, affirmantia veram  
esse diuinam essentiam, in eaq; tria ὑπὸ πρὸς ἄλλω,  
reipsa, et numero distincta, et asseuerantia, in  
CHRISTO esse duas naturas, unitas unione hypo-  
statica

statica, sine physica confusione naturarum, & pro-  
prietatum, sunt opponenda istis praestigiatoribus.

Particulariter vero, ita sunt euoluendae  
hae praestigiae:

Vsitate scriptura vocabulum, DEVS & IE-  
HOVA usurpat essentialiter, hoc est, de illa unica,  
vera, & aeterna essentia, communitrium personarum.  
Ipsi autem haec nomina tantum ad personam aeterni  
patris restringunt, etiam quando discernunt essentiam  
in tres personas, ita, ut tres statuunt Deos, vel tres  
personas eo modo distinctas, & diuisas, quo plures sta-  
tuuntur aut monstrantur homines essentialiter distine-  
cti, & tamen ornati eadem humana specie.

Depravant etiam vocabulum *εὐσιος*, seu essentia.  
Fingunt enim pios comminisci quandam substantiam  
seu naturam seorsum consideratam extra personas, &  
differentem realiter à tribus personis, atq; ita commi-  
niscuntur induci à nobis quandam quaternitatem, ut  
ipsi loquuntur.

Hic tenenda est haec admonitio.

Quod non sit offundenda ista imaginatio, quam  
procul ex nostris mentibus eijcimus, scilicet essentiam,  
& relationem in diuinis distingui, seu, differre realis-  
ter. Quia non sunt duae res, essentia Filij & relatio,  
qua Filius est essentia genita, id est, persona *ὁμοὸς*  
*ᾧ* patri. Sed essentia relatiue considerata & res  
latio sunt una res. Quia cum Filius nascitur, non tan-

L 3 tum.

tum relatio nascitur, sed nascitur essentia, quæ Filius est, sicut vult hoc Symboli dictum: Deus de Deo, Lumen de Lumine. Ac ὁμοῦς, quæ communis est tribus personis, distinguimus in tres ὑποστάσεις seu personas, absq; ulla diuisione, vel separatione, cum sit infinita, simplissima, & æterna. Nec personæ differunt aliquâ separatione dimensionis, vel circumscriptionis, sicut naturæ finitæ: Sed distinguuntur interius iuxta proprietates characteristicas, quæ sunt incommunicabiles, & postea discrimine exteriori, sumpto à beneficiis erga Ecclesiam.

Faciunt igitur summam iniuriam nostris Ecclesiis Antitrinitarij, cum dicunt, nos colere inanes, & sophisticas relationes pro Deo.

Propositio: Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, est verissima. Non enim simpliciter dicimus: Sunt vnus, loquendo de persona: Sed vnus Deus, ut intelligatur nos retinere unitatem essentia. Nos tamen amplectimur SABELLI blasphemiam, quæ confundens nomina Essentiæ, & personæ, contendit eandem personam, modò patrem, modò Filium nominari, quasi vnus & idem, qui nominatur pater, alius abter se ostenderit. Sed fatemur, in illa vna diuina essentia, reipsa subsistere tria ὑποστάσεις, id est, tres personas reuera distinctas proprietatibus incommunicabilibus. Appellationem: Vnus Deus: tribui soli patri, & solum patrem esse vnum Deum, quia origine caret, est falsissimum. Vocabulum vnus, excludit omnia consubstantia



menticia numina, quæ excogitavit humana audacia,  
ut ostendunt omnia testimonia vocis cœlestis. Si refer-  
retur ad originem, non esset dicendum: Pater est unus  
Deus, sed unus pater.

Veram autem esse nostram propo-  
sitionem.

Probo. 1.

Scriptura affirmat, unam esse diuinam essentiam,  
conditricem mundi, & conseruatricem. & hanc testas-  
tur esse omnipotentem, sapientem, iustam, beneficam,  
atq; inspicere motus cordium, & præcipit, ut ad eam  
dirigatur inuocatio.

Eadem scriptura tribuit hæc omnia tribus perso-  
nis, patri, Filio, & Spiritui sancto, videlicet, omni-  
potentiam, omniscientiam, & honorem inuocationis,  
&c.

Ergo pater, Filius, & spiritus sanctus, sunt illa  
una, æterna & omnipotens essentia, quæ se patefecit  
Ecclesiæ in verbo, secundum quod, vult agnosci, &  
inuocari.

2.

Verò, uni, & soli Deo, in scriptura, tribuitur pe-  
culiaris appellatio Iehoua.

Idem nomen tribuitur filio.

Ergo Filius est Iehoua, ille unus, & solus Deus.  
Et falsa est propositio aduersariorum, qui dicunt: Iste  
uocabula, pater, Iehoua, & unus Deus, esse Synonima.

L 4

Minoribus

Minorem probo. Dux populi Israel à Moysen  
 minatur Iehoua. Idem dicitur à Paulo expresse,  
 Christus. Et Dauid appellat eum hoc nomine: Et  
 dicitur me in forma hominis, qui es in excelsis, ò I E H O  
 V A D E V S. Ita & Hieremias inquit: Et vo  
 bunt, id est, inuocabunt eum, I E H O V A iustitia  
 stra. Loquitur enim de germine Dauidis, id est, de Chri  
 sto. Ergo cum I E H O V A propriè significet essentiam  
 diuinam non competit hæc appellatio un tantum  
 sone, id est, soli eterno patri.

Huc adiungantur omnia testimonia scripturæ  
 & antiquitatis, quæ affirmant, Filium esse substan  
 tiam, & integram imaginem æterni Patris, nec esse  
 stantiam finitam, quæ pro angustia sua, aliquomodo  
 recipiat imaginem patris, ut Antitrinitarios istos  
 sphemos audimus loqui.

3.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi  
 seruias,

Iubet autem vox diuina, inuocare Messiam.

Ergo Messias est ille Dominus, & solus DEVS.

Nam ut dictum est, particula solus excludit  
 personas diuinitatis, sed idola.

Ad argumenta Antitrinitariorum prius  
 recitata facilis est Responso.

I.

Ecclesia non gignit nouum genus doctrine,  
 est

est alligata ad fontes scripturæ Propheticae, & Apostolicae. Cumq; sit doctrix, in explicatione controversiarum potest ac debet usurpare nomina, & vocabula, accommodata ad refutationes præfugarum, quæ singulis ætatibus, ab impijs doctoribus stabiliuntur, & ita quidem, ut illa congruant cum fontibus scripturæ. Sicut Paulus iubet eligi Episcopum, qui sit *ἰδοκίμος*, id est, idoneus ad docendum, qui rudioribus possit enarrare genus sermonis, ostendere capita rerum, illustrare ea definitionibus, & divisionibus, & qui possit refutare contradicentes, monstratis insidijs, & oppositis firmis responsionibus.

In tali munere docendi, necesse est ex lectione scriptorum sacrorum sumere idonea nomina, & phrasas quibus res motæ possint dextrè explicari. Et quamvis non semper ea nomina, iisdem syllabis recitentur, in libris Prophetiis, & Apostolicis: tamen cum intellectus congruit, iudicentur esse æquipollentia, de quibus nequaquam debet moueri controuersia. Nec consensus est in syllabis, sed in sententia.

Ita pij moti furoribus Samosatensium, Sabellij, Arrii, & aliorum, necessario usurparunt vocabula, planè confutantia horum corruptelas, & explicantia nativam sententiam sermonis Prophetici, & Apostolici. Ac vocabula illa, quibus usi sunt, nequaquam sunt aliena à sententia scripturæ, neq; sophisticè excogitata ad decipiendos imperitos: sed graui consilio tradita, ad expositionem planiorem grauium controuersiarum.

Nomen TRINITAS, non significat rem aliquam communem, seorsim consideratam, sed tres personas subsistentes, in una essentia. Ita aliás declarauimus uocabulum essentiam, relationem non esse aliam rem, quam essentiam cum sua proprietate incommunicabilem, et solam essentiam relatiuè consideratam, ut cum dico, esse quod sit gignens, essentia genita, & essentia procedens.

2.

Etiam olim contentio fuit, cum Ariani de Iohannis: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te uerum Deum, & quem misisti, Iesum esse. Aliqui tradiderunt talem Syntaxin: Hæc est æterna, ut agnoscant te, & quem misisti, Iesum esse solum uerum Deum. Sed responsio est:

Due sunt partes dicti: In priore parte, demonstratur diuinitas mittens à persona missa, & monstratur quis sit uerus Deus. Ibi sunt intelligendæ tres personæ. Et particula exclusiua, rejicit commenticia numeraria, commenticias inuocationes & cultus. Altera partem cit de officio personæ missæ, & discernit illam personam à tota diuinitate mittente. Hæc igitur est Syntaxis: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum esse, T E, scilicet mittentem, & quem misisti, esse Messiam, Mediatorem, Receptorem, & Saluatorem, colligentem Ecclesiam.

3.

Dicitur ad Corinth. est testimonium, de uno vero DEO, patefacto in suo verbo, & opponitur exclusiua sua, omnibus commenticijs numinibus. Tribuit autem manifeste diuinitatem Filio, cum inquit: Per quem sunt omnia. Aseuerat igitur, hunc esse unum, verum, & solum DEVM, qui est patefactus in Ecclesia, quod sit, pater, Filius, & spiritus sanctus. Non igitur excluduntur Filius, & spiritus sanctus.

4.

In Epistola Iohannis dicitur: Patrem, & λόγον, & Spiritum sanctum esse unum. Quia comprehendit genere neutro, duo capita, doctrinam de Essentia, & doctrinam de voluntate Dei. Tres personae diuinitatis subsistunt in una essentia, & uoluntas earum una est, & conformis cum uoluntate, reuelata in uerbo, & sonante in ministerio.

5.

Symbolum Nicenum, particulam: DEVM de Deo, opponit figmento Arrij, qui dicebat: λόγον ἐκ τοῦ οὐκ ὄντος, hoc est, esse eum creaturam conuersam ex nihilo. Contra igitur affirmat Synodus, eum nasci ex substantia patris, eumque esse integram, & perfectam imaginem patris, & splendorem paternae gloriae.

Nec uero hac distinctione discerpitur essentia in plures personas, aut essentia Filij separatur uel diuiditur ab essentia patris, sicut ὑψίστου in specie humana, mole, & dimensionibus suis separantur. Sed Symbolum nominat Filium ὁμοούσιον Patri, & addit: *testimas*

testimonium expressum, de vera diuinitate eius, quem omnia facta sunt.

Abhorreant igitur pij omnes, oculis, atribus, tota mente, ab istis portentis opinionum, & blasphemis sermonibus, qui verè os in coelum attolentes, Dei conuitium faciunt, & gloriam eius petulant, ledunt. Omnino enim, ubi euoluantur hæc, & præstigia, deprehenditur, hos infelices hæc stabilire vnus Mahometicū, ac proponere nobis, istum tantum tanquam excellentem Doctorem, Prophetam, qui nomen Dei gerat, propter conuocationem aliquarum diuinarum virtutum, & præponem, suum diuinum officium, sicut etiam de hominibus de Camg, n. quod efficiantur participes diuinæ naturæ. de creatura

Quamuis enim primi horum furorum prædum homines, vt SERVETVS, & post eum COMPETUS, ZA, GENTYLIS, & quidam alij, quorum discrimina, & sententias studuimus euoluere, lecturi fuerunt, & cubi rectius & callidius; tamen nunc multi, qui cum in locum, & defensionem à Magistratu suo, se aperte præsentant, & ipsorum quoque Turcorum testimonio, inuicem, in Mahometicam blasphemiam stabiliunt. Negant Spiritum sanctum esse ὁπισθεν. Christum verò tantum personam præstantem doctorem, vel Prophetam de pingui De plurimi addunt deliria Anabaptistica, de communibus, & abolitione ordinis Politici, item de baptisuræ seri. Sed nos muniti testimonijs diuinis, constanter inuicem ὁπισθεν Hypostaticam duarum naturarum in Christo, & dicuntur

etiam; ab omnibus alijs gradibus, seu modis presentie  
 Dei, discernamus, & in veris exercitijs pietatis, &  
 inuocationis, hanc fidem confirmemus, iuxta dictum:  
 Per hunc a idem accedere confidenter, per fidem  
 in IESVM CHRISTVM.

## DE SPIRITV SANCTO.

Quæ sunt significationes vocabuli  
 Spiritus?

Vocabulum Spiritus, in genere significat agitatæ  
 onem, seu statum, seu naturam, vel vim agitantem.  
 Cumq; non Deo tantum tribuatur, sed usurpetur etiam  
 de creata agitatione, Interdum significat ventos, inter  
 dum hominis vitam, Nonnunquam etiam motus, vel  
 impetus hominum creatos, cum bonos, tum malos. Hæc  
 quæ discrimina consideranda sunt, ne misceantur dicta de  
 creata agitatione testimonijs de spiritu increato, ut  
 cum in Iohanne dicitur: πνεῦμα ὁ Θεός, id est, Deus  
 est Spiritus: ubi significat essentiam spiritualem, vi  
 uam, intelligentem, efficacem, sine mole corporea,  
 quia eo in loco πνεῦμα est nomen commune tribus  
 personis diuinitatis.

Dilectus igitur adhibendus est in testimonijs col  
 ligendis, ac prudenter iudicandum, ubi proprie loquã  
 tur scriptura de Spiritu sancto, qui est persona, seu  
 personæ, qui sanctificans corda vocem Euangelij aus  
 picentium, &c.

Quare

Quare tertia persona Diuinitatis personali nomine appellatur Spiritus?

Propter duplicem respectum.

1. Respectu aeterni Patris, & Filij. Quia persona, quæ est substantialis amor, inter patrem Filium, & substantialis leticia, qua æternus pater tatur, & acquiescit in Filio; & Filius in patre dictum: Hic est Filius meus dilectus, quo delectatur.

2. Respectu nostri, quia est agitator, seu Filius est  $\lambda\omicron\gamma\theta$ , quia per ministerium, & corde, alloquitur Ecclesiam, ostendit pij s patrum mentes, & lucet ipse in mentibus.

Simul autem pater, & filius, spirant spiritum sanctum, qui corda mouet, ut luce illa filij letificentur, inuocent DEVM, diligant DEVM, & se ei subijciant. Deniq; ut tales motus efficiat, qualis est ipse.

Vnde sumuntur appellationes alie, quæ tribuantur Spiritui sancto:

Ab officio, & beneficijs seu effectibus, quibus efficit in credentibus.

Nominatur Spiritus gratie, & precum GRATIAE, quia efficit leticiam in corde, & precatur nos esse in gratia. PRECVM, quia



corda ad inuocationem, & alios motus, qui copulati sunt in inuocatione.

Ac dictum ad Romanos: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus: Abba pater, complexitur hanc leticiam, & inuocationem. Et 2. Timoth: 1. Paulus trium uirtutum appellatione, Fortitudinis, Dilectionis, & Castitatis, complexus est totius Decalogi doctrinam. Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis, & castificationis.

Quibus testimonijs ostenditur, Spiritum sanctum esse ὑψίστου, seu personam.

Spiritum sanctum non esse motum creatum, seu accidentem in creatura rationali, seu ipsum patrem creaturam talem motum, ostenditur.

1. Ex patefactione edita in baptismo Christi.

Apparens ideo peculiari specie corporali, ut haec discernatur a patre & filio, est persona a patre & filio distincta.

Spiritus sanctus in baptismo Christi ideo apparuit specie corporali columbae, ut agnoscaturre esse ὑψίστου distinctum a patre & filio.

Ergo est persona uere distincta a patre & filio, quibus est ὁμοούσιος.

Maiores uera est. Quia accidentia non sunt extra sua subiecta. Clare autem in illa patefactione discernuntur personae.

personæ. Pater inquit: Hic est filius meus dilectus  
quo delector. Est igitur alia Persona Pater, alius  
filius, qui stat in flumine, Alia Spiritus sanctus de-  
scendens in specie columbæ, quem quidem ipse Pater  
& Filio discernit inquiens: super quem videtur Spi-  
ritus sanctum &c. hic est qui baptizat Spiritus sanctus

2. Idem argumentum formetur, de exhalatione  
Spiritus sancti, visibili specie facta in Pentecoste, quod  
si esset creata agitatio in cordibus, non appareret  
suiuari specie corporali.

3. Nulla motio creata est inuocanda.

Sed in verbis Baptismi traduntur mandata  
inuocando Spiritu sancto, sicut de Patre  
filio.

Ergo non est motus creatus. Sed perfectio  
vina.

Minor est perspicua ex forma verborum bap-  
tismi, quæ comprehendunt summam Euangelij. Bapti-  
zate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti  
est, testificor hac versione, te recipi nomine, &  
mandato Dei, à vero Deo, qui est Pater, Filius,  
Spiritus sanctus. Hunc verum Deum tu vicissim  
scis, & inuoces. In nomine, id est, mandato, &  
nomen, id est, ad agnitionem, & inuocationem.

Hoc argumentum Basilius urget contra  
ῥομάχου, Et celebrat dictum Eusebij Palestini,  
inquit: Sanctum Deum lucis conditorem, per Sal-  
uatorem nostrum Iesum, cum Spiritu sancto inuocem

4. Spiritus sanctus nominatur alius, mittitur à filio, nominatur paracletus.

Ergo non est agitatio creata, nec ipse pater agitans, sed ὁ ἄλλος distinctum à patre & filio, & tamen ὁμοῦσιον patri ac filio.

Consequentiam probo: Alius, discernit eum à patre, & filio.

Mittitur à Filio.

Ergo non est pater, nec agitatio creata à patre.

Est paracletus.

Ergo non est doctrina: Sed Doctor, & persona.

5. 2. Corinth. 12. Paulus clarè discernit Spiritum sanctum à donis creatis, autorem ab effectibus: Omnia hæc efficit unus & idem Spiritus. Item. 2. Cor. 3. inquit: Transformamur in eandem imaginem, tanquam à Domini Spiritu. Ergo discernit effectorem à luce creata. Iuniores etiam meminere dictum, quod perspicue discernit Spiritum sanctum à patre, & filio, recitatum in calce eiusdem Epistolæ: Gratia Domini nostri Iesu Christi, & dilectio Dei, & communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis.

Recita testimonia, ostendentia Spiritum sanctum esse ὁ ἄλλος, antequam Filius assumpsit humanam naturam.

Petrus inquit:

¶

Spiritus

Spiritus Christi in Prophetis prædicans Christum  
passurum esse.

Ergo & λόγος est ante assumptionem  
n. e. nature, & eodem Spiritu sunt sanctificati  
electi, omnibus temporibus.

Iuniores etiam ediscant dulcissimam promissionem,  
traditam in Esaia: Hoc fœdus meum cum  
di it Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & verba  
mea, que posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo,  
neq; ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps  
in sempiternum. Ait eundem esse Spiritum in  
& in tota Ecclesia, ad omnem eternitatem.

6. Perspicuum dictum est, de discrimine personarum,  
in actis, cap. 2. Dextera DEI exaltata  
accepit promissum Spiritum à patre.

Accipitur à Patre, & datur per filium.

Ergo est alia persona à patre & filio, & non  
est, ut 2. Corinth. 3. dicitur ὁ κύριος & ὁ  
minus, id est, Deus.

Huc referenda sunt & testimonia Symbolorum  
& dicta laudate antiquitatis, ut quod Basilii  
Δεῖ ἡμᾶς πιστεύειν ὡς ἑαπὶ ζόαθεα, ἰδοὺ  
ὡς πνεύματι, πατέρι, καὶ υἱοῦ, καὶ  
πνεύματι. Id est, Credere nos oportet sicut baptizati  
sumus, glorificare autem sicut credimus, Patrem,  
filium, & Spiritum sanctum.

Quotuplex est discrimen Personarum:

Duplex; Aliud est Interius, ut, Pater gignens, Imago genita, Spiritus procedens. Aliud est Externum quod sumitur à beneficijs exgæ Ecclesiam. Ut, Filius & Spiritus sanctus mittuntur ad Ecclesiam statim ab initio. Filius constituitur Mediator, mittitur et pacificat promissionem, orat pro Ecclesia, meretur remissionem peccatorum & restitutionem iustitiæ, & vitæ æternæ. Et est illa persona, quæ immediatè est efficax in consecrationis ministerij, & quæ docet mentes, ostendit patrem, & præsentiam eius. Spiritus sanctus mittitur à Patre per Filium, ut immediatè corda ad assensionem, & inuocationem flectat, & accendat tales motus, qualis est Deus.

Hæc sufficiant de tribus personis diuinitatis. Estq; ille Articulus fusiùs explicatus, propter horribiles furores Diaboli, qui in hac vltima mundi senectæ, per organa sua, blasphemias Mahometi in totum penè orbem propagat, & paulatim etiam eas gentes, quæ gerunt nomen Christianum, ad accipiendum Mahometismum insidiosissimè præparat.

EXPLICATIO GENERALIS, ARTICVLI DE CREATIONE, & capitum, pertinentium ad illum Articulum.

Quid est creatio?

Est fabricatio aliarum rerum, quæ sunt extra essentiam Dei, ex nihilo, cæli, terræ, Angelorum, hominum,

M 2

sum,